
PANSPERMION

EX VNIVERSIS FERE DISCIPLINIS COLLECTVM, AVTHORE ALEXANDRO MARANTA ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE, AD SERENISSIMVM MAGNVM DVCEM ETRVRIAE FRANCISCVM MEDICES D. SVVM COLENDISSIMVM, ET STVDIOSORVM, DOCTORVMQVE ASYLVM, ET MECOENATEM.



VENETIIS, Apud Franciscum Zilettum. 1581.

CLARISS. D. VINCENTII QVIRINI Patritij Veneti, in Alexandrum Marantam præclarissimum Artium, & Sacræ Theologiæ Doctorem.

EPIGRAMMA.

FVndamenta locat sacri dùm ingentia Templi
Maranta, & nitidos erigit arte tholos;
Dauìdes circumfusis sua gaudia Diuis,
Et tales placido reddit ab ore sonos:
Cælicolæ magni Solymas qui cernitis aras,
Et rediuiua pia surgere Templa manu;
Artificis nomen celebri producite fama
Vltra Ararim, & gentem Memnonis Aethiopis.

Accuratus Lector aduertet PANSPERMIA vocem Græcam esse, & fœminini generis. PANSPERMION verò neutri, cùm sit vox consueta Arabis & Syris. Qui etiam errata piè & officiosè corriget.

SERENISSIMO MAGNO DVCI ETRVRIAE FRANCISCO MEDICES D. ET PATRONO SVO COLENDISSIMO, ALEXANDER MARANTA ARTIVM, ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR. FOELICITATEM.



IGENT adhuc SERENISSIME MAGNE DVX FRANCISCE, *Illustrium Virorum monimenta: Non excidit Caroli Crassi singularis beneuolentia in eruditos homines, quos ad scribendum hortari solebat. Sigismundi Imperatoris acta non cessant, ita fouentis homines, vt virtutibus, illorumq; doctrina nobilitatem metiretur. Alexandrum Magnum Macedonum Regem adeò Homeri Iliade delectatum fuisse referunt, vt cum dormiret, eam sub Puluinio reconderet. Pedagogiam quam Xenophon cudit, adeò probauit Aphricanus, vt velut Epitomen semper eam gestaret in manibus. Monimus vsq; adeo studij amore recens imprimitur, vt simulata insania ob Diogenem videndum tandem demissus sit. Crescent in dies Liuius Drusus, Chrysippus Cleantes, quorum vnus fuit animus, vna ad literas cupiditas. Longè amplius viuet* SERENISSIME

MAGNE DVX FRANCISCE *nomen tuum, ſimul quàm illorum omnium imago, & ſimulachrum, quorum veſtigia ſequens, in æternum viuens fœlix, quos Sereniſsimæ Celſitudini Tuæ bonis artibus deditos non latuit, protegere, venerari, & diligere non ceſſauit: de quo (vt verum fatear) totus Oriens & Occidens teſtis eſt, quod ſanè inſtitutum Sereniſsimæ Mediceæ Familiæ Tuæ proprium & peculiare fuit ſemper. Hinc motus cum* PANSPERMION *iſtud meum omnium ferè Diſciplinarum Enuntiata complectens, prælo dare conſtituiſſem cum nonnullis alijs Appendicibus pro decorando* TABERNACVLO THEOLOGICO, *& ſub Sereniſſimo Celſitudinis Tuæ nomine in lucem exire decreuiſſem, tamquàm meo ſingulari Mecœnati Doctorumq; omnium Aſylo Sereniſsimæ Celſitudini Tuæ dicare propoſui. Suſcepti itaq; laboris mei rationem Sereniſsima Celſitudo Tua meis literis abundè intellexit, quibus officioſiſsimè etiam ſatiſfecit, & Sereniſsimæ Celſitudinis Tuæ reſponſum adeò totius Europæ lumina Doctores Theologi & Philoſophi Celeberimæ Academiæ Patauinæ probarunt, vt vltra laudari non poſsit. Comendarunt enim ſyncerā Sereniſsimæ Celſitudinis Tuæ in eruditiſsimos Italos beneuolentiam,*

amorem,

amorem, pietatem, & Charitatem quibus adducta eorũ existimationi prospicere, consulere, & fauere ita Christianè, & piè proprijs literis statuit. Quem syncerum & candidum paterni amoris affectum in omnes eruditissimos Italos (dum spiritus omnium artus reget) semper per omnium ora volitabit. Hoc enim veræ virtutis Serenissimæ Prosapiæ Mediceæ Tuæ præcipuum fuit literis fauere, eruditos homines honoribus cumulare, pacem firmare, Religionem tueri, honestum sancire, veritatem vnicè colere, & omnia deniquè virtutis ornamenta gremio suo complecti. Quid igitur vt de reliquis sileam nomine Italo quod Serenissima Celsitudo Tua tàm officiosè suis comendat, fouet atq; tuetur, clarius, amplius, & magnificentius cogitari potest? Quid vtilius & salutarius? Quid pulchrius & amabilius? Hoc enim mentem quæ in homine principatum tenet, splendore Diuini Luminis illustrat, hoc cupiditatem & libidinem coërcet, hoc motus inanes comprimit, hoc animis pacem conciliat, hoc ignaros erudit, & eruditos eruditiores reddit, & postremò humanas mentes cum Diuina conglutinat. Hoc à libidine ad officium & continentiam traducit, hoc artes salutares quibus hominum vita continetur instituit,

Serenissimæ Familiæ Mediceæ encomia.

hoc

hoc ordinem Rerumpublicarum collocat, inter quas Serenißima Respub. Veneta vt Sol inter Sydera emicat, hoc Reges suo nomine dignos, splendore Diuinæ Lucis illuminat, hoc placidißimam animorum pacem constituit, hoc dignitatem, & veram libertatem elargitur, ab hoc laudes omnes, virtutis & sempiternæ dignitatis emanant, hoc deniq; mortales immortalitate donat, ipsiq; DEO amore sempiterno deuincit, cùm apud Italos (aliorum pace sit dictum) purior, syncerior, & officiosior sit Orthodoxæ Religionis Christianæ cultus. Quæ itaq; aliorũ cæcitas est vt sibi laudes comparent nomini Italo tàm fœdè & ridiculè velle imponere, cùm se solos esse, se solos sapere persuasum habeant, nos verò truncos & bardos existiment, cùm in comparatione etiam ineruditißimi Itali elingues sint potiusquàm scientes, tamẽ pedagogijs nonnullorũ mirumimmodum se venditent atq; iactent, in quibus si fuisset fides (vt summa esse debebat) non laboraremus. Non igitur immeritò Pythagoræ modestia laudari solet, qui se non sapientem, sed Philosophum appellari voluit. Philosophi enim nomen Sapientiæ studiosum significat. Illius authoritate factum est, vt sapientiæ nomine suppresso Philosophiæ nomen in ore omnium versaretur, nemoq; deinceps,

Italorum laus.

Pythagoræ modestia.

qui

qui non stultè arrogans esset, inueniretur, qui nomen Sapientis assumeret. Vt enim Socrates apud Platonem dicit, Solus DEVS est natura Sapiens. Humana autem sapientia, vt ille dicebat, in animi moderatione perspicitur. Ille nanquè inter homines sapientia praecellit, qui tenebras, in quibus hominum vita versatur, non ignorat, & se nihil sapere, ingenuè confitetur: Quod ego SERENISSIMAE MAGNE DVX *hoc nostro Virtutum* SEMINARIO *quod Venetijs publicè disputandum proposui, &* SERENISSIMAE CELSITVDINI *Tuae inscribere non dubitaui ingenuè fateor. Propensi itaq; animi mei obsequium non spernet Serenissima Celsitudo Tua, quod si Momi vel Inuidi damnare tentabunt, meminerint hos meos labores* SERENISSIMO *M*AGNO *D*VCI *Etruriae dicatos esse, qui me clientem suum ab iniuria vindicabit: Nec minùs Censorino Catone in Galbam mecum acturum. Velim itaq; Serenissimae Magne Dux, sic tibi de Alexandro Maranta tuo persuadeas, & si in multis qui Serenissimam Celsitudinem tuam colunt, officiosissimè respondère non possim, animum tamen meum longè gratissimum retinere, vt pro magnitudine beneficiorum tuorum in me collatorum, cùm solùm mihi benè merendi*

pro-

propensissimum obsequium erga Serenissimam Celsitudinem Tuam relictum sit, me nihil habere quod cogitem, quod moliar, quod non perpetuò tibi dicem ac tradam. Quarè Serenissimam Celsitudinem tuam oro & obsecro, ut hos nostros conatus boni consulat, studiaquè nostra in nomen Italum satis per se splendidum benignitate sua singulari complectatur. Quod si præstiterit, (ut fecit) animum mihi certè dabit, ad alia multa quæ apud me compressa sunt, ad Ecclesiæ usum & utilitatem in lucem proferenda. Fœlicissimè valeat Serenissima Celsitudio Tua ad totius Christianæ Reipublicæ salutem & incolumitatem. Venetijs ex nostro Museo in Festo Sancti Marci Euangelistæ Serenissimæ Reipublicæ. Venetæ Tutellaris Anno.

M. D. L X X X I.

SI LITERARIAE MILITIAE CERTAMINA VERITATIS ACQVIRENDAE PANSPERMION VTILISSIMVM DESIDERANT SAPIENTES, QVID MIRATVR QVISPIAM, SI AD PALESTRAM HANC SELECTISSIMAM VOS INVITAT ERVDITISSIMI VIRI ALEXANDER MARANTA ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR PRO SVA MEDIOCRITATE.

TABERNACVLVM DAVIDIS.



Bstvpescere non equidem valeo, si tàm admirabili animi sagacitate, ingenijq; studio, corporisq; labore Maximus ille Prophetarum, Regumq; Dauid pro honorificè collocanda & reponenda Domini Arca, ad eximium & celebre Tabernacvlvm excitandum, compigendum, & perficiendum, tàm diù exactè operam impenderit: Cùm ad illud aliquo modo verbis exprimendum, cuiq; mortalium tàm arduum ac perdifficile videatur. Quis enim Sacræ Theologiæ cacumen non immeritò Dauidici Tabernacvli sibi nomen vindicantis, vbi pulcherimam præciosissimamque Diuinitatis Arcam contemplamur, dulcissimumq; Trinitatis Manna suauiter delibamus, cùm imbecillis sit nostri Intellectus Natura enucleare adamussim valebit? Conspicuum sanè est ob eius imbecillem naturam in supernarum rerum contemplatione vespertilionis oculo, qui lumine Solis offensus in paruulo, atq; perobscuro noctis lumine vagatur, eoq; delectatur, similem fieri: Etsi radij Solis illius qui Solem hunc visibilem tàm apprimè condidit, in supremo hoc *Authoris Scopus.*

TABERNACVLO vbiq; refulgent, & vndequaque diffunduntur, quomodò homo terrenus intellectus aciem fine vlla sui læsione in ipsum figere poterit? Nihilominus vt aliquo modo sub manus vmbra prospectari, atq; possibili animæ oculo attingi valeat, sicut Dauidicum TABERNACVLVM nonnullis columnis sustinebatur, ita Theologicum hoc TABERNACVLVM in medio nonnullarum columnarum superpositum, vt ex effectis conscendamus ad causam in medium afferre decreui, iuxta

Rom. 1. id quod Tharsensis Apostolus docet: Inuisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Quarè mirificam huius Diuini TABERNACVLI effigiem, quò ad præcipuas eius partes distinctam, facilitatis gratia distinctissimam reddere contendam.

TABERNACVLI BASIS.

VT AVTEM ab huius supremi TABERNACVLI principio exordiar, fundamentum illi summo MONARCHÆ qui alio nomine DEVS OPT. MAX. appellatur, non per adoptionem, neq; per nuncupationem, sed per Naturam, à quo tot bona promanarunt, & in dies tàm vastè singula quæq; scaturiunt; abscidendum esse nobiscum ipsi pependimus: Qui purissimus actus primumq; agens existens, nullam sibi prorsus materiei rugam, seu generis & differentiæ, aut accidentis substantiæq; concretionem admittit. Et cùm sit ita bonus, quo nil aliud melius, ita magnus, quo nil aliud maius, ita immobilis, quo nil aliud immobilius, qui sicut Omnipotens cuncta creauit, sicut sapientissimus omnia disposuit, & sicut optimus cuncta conseruat. Attingit enim à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Virtutem eius ab alio (sicut nostra dependens videtur) initium sumere penitus negamus. Proindè DEVM sine quantitate

Sermonis initium.

Sap. 7.

magnum,

magnum, ſine qualitate bonum, ſine indigentia Creatorem, ſine ſitu præſidentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbiq; totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia facientem, nihilq; patientem, mente proculdubio complecti poſſumus. Propterea huiuſmodi Sacri TABERNACVLI BASIS à multiplicitate ſeiuncta, æternitati autem ſimul iuncta eſſe rimatur. Vnus eſt enim Dominus DEVS, fons lucis, Lux vitæ, Naturæ Princeps, Pater gratiæ, & Rex Gloriæ. Non plures Dij, vt prophanæ vetuſtorum turbæ falſò quondam ſomniarunt, aduerſus quos Diuinus Vates ait: Omnes Dij gentium dæmonia. Eſt itaq; in DEO vera vnitas propter ſimplicitatem, immutabilitatem, & ſingularitatem, nec non propter vnitatis creatæ ſimilitudinem: Nam ſicut vnitas à nullo deſcendit, & omnis pluralitas ab eo defluit, ſic DEVS à nullo, & omnia ab ipſo. Quarè non ſolùm ſummum, primum ipſumq; eſſe, verùm etiam primam, ſummam, ipſamq; uitam, ſummumque bonum ſolùm DEVM aſſerere non ambigimus. Cuius Vſia (cùm ipſe ſolùm habeat uerè eſſe) ſi noſtrùm eſſe comparetur, tuebimur non eſſe: Quarè formarum cauſam, & primam omnium cauſam ſuper quam nulla omninò paſſio probabi poteſt, eum eſſe non inficiabimur. Vndè NVMEN eſſe credi par eſt, æternum, immenſum, neq; genitum, neq; unquàm interiturum, cuius extra indagare nec hominis intereſt, nec mentis humanæ coniectura capit. Itaq; irridendum non eſt, ſi olim uolentes in eum Philoſophari locuſtarum inſtar quàm primum euanuerunt & eorum animos eius ſpeculatio mirum in modum agitauit. Quarè neq; adepti ſunt id, quod uolebant, & operam ſimul, atq; induſtriam perdiderunt, quia ueritas, hoc eſt ſummi DEI archanum, qui fecit omnia, ingenio, ac proprijs non poteſt ſenſibus comprehendi. Alioqui nihil inter DEVM, hominemq;

Eximia DEI encomia.

Quorundam lapſus.

Pſal. 95.

Irriti conatus humani ſine DEO.

distaret, si consilia & dispositiones illius Maiestatis æternæ cogitatio assequeretur humana. Ipse namque est totus in toto, imò uerò ipse totum, extrà & intra se cuncta complectens, idemq; rerum Naturæ opus, atque rerum ipsa Natura: Furor itaq; est eius mensuram animo agitare uelle, atque prodere audere, cùm omnium substantiarum sit ipse mensura. Vndè quòd omnia sibi expensa, & accepta ferantur, & uniuersa in rerum ratione solus utranque paginam faciat, satis est existimare. Qui talis ac tanti uigoris est, ut profligata relaxare, defunctos ad uitam reuocare, & omnia possit quæ contradictionem non implicant. Quarè mentis humanæ acies inualida in tàm excellenti luce nõ figitur nisi per iustitiam fidei emundetur. Rerum cunctarum origo est, primus Motor à quo omnis motus, qui sicut optimus Artifex Cœlo leges, Radios Soli, Cornua Lunæ, Mari Fluxum, Stabilitatem Terræ præcipuo rerum Naturæ solatio, non sine ingenti hominum stupore condonauit. Qui non partibus constat vt corpus, non affectibus distat ut anima, nec formis substat, ut omne quod factum est. Oportet DEUM cuius est & summè cuncta sentire, atque intelligere, nec mori, nec corrumpi, nec mutari posse, nec corpus esse, sed Spiritum omnipotentissimum, mitissimum, optimum, beatissimum fateamur. Et si quòd uerè est, nulli accidat, (vt Arist.lib.1.Phy. innuere videtur) eius tamen scientiam ab accidentis Natura abducendam esse arbitramur: Propterea vnico eodemq; intuitu omnia sapere & cognoscere assertione approbare tenemur. Animaduertit primò se ipsum, deinde alia à se, non in se ipsis, sed in se ipso maximè non discurrendo intelligit. Neque etiam (cùm sit prauorum iudex atq; punitor) malorum cognitio subterfugit: Quæ etsi distinctè ab eo percipiantur, efficere tamen ea minimè ualet. Nam DEVS OPT. MAX. (vt celebrì D. Fulgentij Martyris utar sententia) illarum rerum

Ingens DEI celsitudo.

Maxima DEI vis in intelligendo.

quarum

quarum eſt ultor, non eſt author. Quod & Diuinus Vates docuit dicens: Quoniam non DEVS volens iniquitatem tu es. Nec obeſt Tharſenſis Apoſtoli effatum, dùm inquit: Tradidit illos in reprobum ſenſum. Totum enim hoc factum fuit in pœnam peccati præcedentis, ut orthodoxè D. THOMAS aduertit, etſi fœtida Caluiniſtarum ora oppoſitum eructent. Quarè ſummoperè admirabilis & incomprenſibilis eſthæc BASIS.

Pſal. 5. *Rom. 1.* *Caluiniſtarũ lapſus.*

LONGITVDO TABERNACVLI.

HVIVS itaq; Regij & imperueſtigabilis TABERNACVLI LONGITVDINEM ſub Diuinæ Bonitatis proceritate, quæ præclariſſimè in tanta rerum omnium creatione atq; uarietate conijcitur, facilimè ſpeculari ualebimus. Bonitas namq; Diuina tanta eſt, quanta maxima poteſt eſſe: Ea enim ex nihilo DEVS, cuncta uno die indiſtinctè creauit, altero ornatu pulcherimo formauit atque diſtinxit. Regimen quoq; cunctarum rerum, curamq; non modò uniuerſam, uerùm etiam & particularem gerens: Crocitent hìc Epicurei, & ex Auerroiſtis nonnulli, ſcit enim clementia inexhauſta omnia moderare & conſeruare nunquàm ſtomachatur. A quo uno, cuius unius à uoluntate omnia erumpunt, cuius poteſtas uniuerſa complectitur, quem omnia uerentur, omnibusque intimè ineſt, cuius duntaxat proprium eſt creare. Quarè iure optimo rerum omnium Creatorem, Conſeruatorem, primumq; & immediatum eſſendi principium unicuiq; appellare licebit. Solus itaq; DEVS OPT. MAX. hunc excelſum, luculentum, & exultum Cœli circulum (quod huius mundani terreniq́ue laris laquear exiſtimari debet) mirificè contextuit in tempore. Ortus poſtea, & Occaſus, Acceſſus, & Receſſus, Motus; & Lumina, Virtutes, & Influentias, Ordinemq; Aſtris unus ipſi ipſe impartiuit.

Epicureorũ aliorumq; lapſus.

partiuit. Hinc Cœlorum Motores Orbibus collocasse perspicimus, qui tàm indefeſsè mouent, vt Cœlum a motu posse cessare sola fide teneatur. Deinde spiritalem, corporatamque Naturam, & vtranq; simul ab eo conditam esse affirmamns. Qui enim viuit in æternum, creauit omnia simul. Angelos verò, qui substantiæ intellectuales sunt, semper mobiles, arbitrio liberæ, incorporatæ; Deo ministrantes, immortalitatem suscipientes secundũ gratiam non autem Naturam, quos alio nomine sacra scriptura Astra matutina appellat in loco supremo, Cœloque Empyreo tanquàm partes vniuersi præstantiores concreari decuit. Inest ipsis essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicuitas, liberi arbitrij facultas, agilitatis velocitas. Quos etsi naturali perfectione decoratos defendamus, in primo tamen creationis suæ instanti mereri minimè potuerunt. Quos quidem ad nos mitti, & missos fuisse, & in assumpto corpore nobiscum pro nostra instructione conuersari posse Theologorum nullus ambigit. Verùm de inferioribus ordinibus plerunque mitti solent, & si quandoque pro grauioribus negotijs de superioribus mittantur, qui sunt Spiritus potentes, gloriosi, beati, in personis distincti, dispositi in dignitate, ab initio stantes in ordine suo, perfecti in proprio genere, immortalitate perpetui, mente puri, affectu benigni, religionè pij, vnanimitate indiuisi, pace securi, & obsequijs dediti. Promptè omnes obediunt, maiores sine elatione præsunt, minores qui mittuntur sine vitio parent, & qui ad exteriora exeunt à beata contemplatione sanè nunquàm desistunt. Nec vnquàm Angelos malos (vt insipienter Manichæi sibi persuaserunt) sed omnes bonos conditos esse statuimus. Deliquerunt autem miserè sua culpa nimirum de sese præsumentes aliqui, & ideò mali, & dæmones facti sunt. Quarè manifestum euadit Luciferum in primo instanti non apostatasse, verùm suæ petulantiæ pondere de

Mirabilis DEI Omnipotentia in creatione manifestatur. Sap. 1.

Angelorũ conditio qualis.

Cœlo

Cœlo Empyreo, vbi decoris præstantia erat alijs multò eminentior, quosdam suæ prauitatis consortes in hnnc caliginosum aerem, quosdam alios in Infernum, in quo ipse semper affixus inhabitat in tertio instanti detruxisse. Ita enim Draconem tertiam Stellarum partem de Cœlo cadentem sua cauda traxisse Reuelationum Author uaticinatus est. *Apoc.12.* Scelere autem perpetrato hæc in dæmone permanserunt, sceleris obstinatio, ita ut reuerti ad gratiam amplius nequeat, D. Gregorio relatore dum ait: Quod in Angelis fecit lapsus, hoc in hominibus extrema faciet mors. Permansit insuper inordinata prædominandi libido, & eius superbia semper ascendens. Quarè boni peccare nequeunt, mali uerò rectam voluntatem habere. seu benè velle minimè ualent. Sicut inter Angelos bonos alij alijs præsunt, ita & inter malos alij alijs sunt prælati, & alij alijs subiecti. Quarè quandiù terrarum Orbis permanserit, Angeli Angelis, Dæmones Dæmonibus, homines hominibus præsidebunt: Hoc enim & vniuersi ordo, & iustorum corona exigit. Dæmones miracula facere minimè possunt, & multò minùs Antichristus cùm uenerit, ea agere valebit cum suis sectatoribus atq; sectarijs. Ampliùs Dæmones quandoq; imò sæpissimè corpora assumunt, in quibus nonnulla opera vitalia DEO OPT. MAX. annuente exercere possunt. Conflauit etiam ipse Naturæ Sator & Opifex hominem etiam de limo Terræ, quem ADAM vocauit, hoc est terrigenam, quoniam de terra desumptus est, quæ allusio futuræ præuaricationis specimen præ se ferebat, quoniam puluis iuxtà id quod scriptura dicit in terram reuersura erat; Palmo mensus est terram & fecit hominem di limo terræ. *Esa.40.* Quem ex altera parte ad eius imaginem & similitudinem secundum animam præstantissimè configurauit. Quarè maxima & suprema est animarum dignitas (D. Hieronymo relatore) vt una quæquè ex propriæ na-

tiuitatis

Heb.1. tiuitatis ortu in ſui cuſtodiam Angelum delegatum habeat, ut orthodoxè Eccleſiarum Magiſter Apoſtolus docuit: Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in myniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quarè firmiſſimè ſtatuendum eſt magnum miraculum eſſe hominem, & nihil in hac quaſi mundana ſcena ſpe-

Eſa. 9. Mar. vlt. ctari homine admirabilius. Iurè itaq; meritò in ſacris literis, nunc omnis carnis, nunc omnis creaturę appellatione deſignatur, quando ſe ipſum ipſe in omnem carnis faciem, in omnis creaturæ ingenium effingit, fabricat, & trāsformat, ita vt Protheus & Mundi Monſtrum ſit appellatus. Mox verò DOMINVS DEVS in Paradiſo voluptatis vt operaretur, & cuſtodiret illam, cæteriſq; animantibus homo præeſſet illum collocauit, ad quod munus rerum omnium ſcientiam habere congruit. Exploratum enim habebat quid DEO, quid ſibi; quid coniugi præſtare debuiſſet. Sed proh dolor ſua culpa miſerimè lapſus eſt, & ad eam miſeriam deuenit, vt cum Re-

Hominis conditio prima qualis. ge Chaldęorum beſtijs inſeruire coactus ſit. Verùm ea quæ Naturali lumine aſſequi poſſunt, ſibi cuncta cognita fuère. Quæ verò nonniſi ſupernaturali quantùm ei opus erat. DEVS enim OPT. MAX. tanta fide ipſum ornauit, tanta ſpe ipſum muniuit, tanta charitate ipſum ueſtiuit, ea prudentia decorauit, ea temperantia cinxit, ea fortitudine vallauit, ea iuſtitia inſigniuit, quòd ſi in altiſſimis illis ſubſelijs in quibus erat ipſe conſtitutus ſtetiſſet, & ſua culpa non corruiſſet, mortuus minimè fuiſſet, & fateri

Pelagij lapſus. oppoſitum eſt cum Pelagianis ſentire, quod dogma longe antehàc à Patribus exploſum, & velut impium reiectum fuit. Adamus autem & Eua poſt peccatum de Pa-

Gen. 3. Iſa. 4. Apocal. 12. radiſo expulſi ſunt, ſicut Lucifer de Cœlo, & in hac miſeriæ valle habitantes facti ſunt mortales. Nàm ſicut in Cœlo eſt non poſſe mori, ita in Inferno eſt ſemper mori. In Mundo medio poſſe viuere & poſſe mori. Quarè col-

ligentes

ligentes ex his dicimus, quòd dùm homo erexit se supra se cæcidit miserè infra se, hoc est, à statu innocentiæ & gratiæ, in statum culpæ & miseriæ. Mulier verò prima fuit quæ mendatium & pernitiosum sanè in Orbem terrarum introduxit, quam nè contristaret Adamus in cloacam errorum miserimè prolapsus est. Verùm hominem in tali statu suæ conceptionis initio originalem culpam contraxisse aduersus venenatas Bucceri, Brentij, Caluini, & reliquorum blasphemias, Catholicorum nemo est, qui ambigat. Quæ sanè culpa etsi pœnalitatum sensilium non per se, sed per accidens causa existat, ad primum tamen Parentem collata personalis, ad posteros verò relata originalis meritò appellatur. Quod sanè originale delyquium peccatorum actualium seminarium, culparum materia, & errorum fornax à D. Gregorio Nisseno iurè meritò appellatur. Quod ni prçcessisset, actualia delyquia minimè subsequuta fuissent. Hìnc non sine causa risus præcox, & celerimus ante quadragesimum diem nulli exhibetur. Quod mysterium àn Theologiam absconditam sapiat Peritorum iudicium inter opponendum expectabo. Quarè Actasiæ humanę clarissimũ indicium esse ex Aegyptiaca Theologia Doctorum nemo est qui ambigat. Natus enim Infans iacet manibus pedibusq; deuinctus, flens atquè plorans. Vitæ namquè principium à flectu ducimus, obstrictiq; membris omnibus abiecti in terram labores innumeros à ploratibus auspicamur. Insuper cùm reliquæ animantes præsidijs Naturæ tectæ in lucem prodeant, solum hominem nudum, & rebus omnibus inopem cernimus, atquè miserabiliter impeditum, in vitæ primordiò uagientem, statusq; sui miseriam in ipso statim initio miserimè lamentantem, quia ab Adamo descendit. Tristetur itaq; humana Natura, lugeatq; casum suum, lugendo enim per Dei Filium acclamando consolidabitur dicens: O' fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit

Bucceri, Brentij, Caluini, & aliorũ lapsus.

Hominis status post peccatũ qualis.

habere Redemptorem. Et hæc de TABERNACVLI LONGITVDINE dicta sufficiant, in qua me omnia mysteria Aegyptiorum ad eorum Theologiam spectantia declaraturum polliceor, (etsi innumera sint) si quispiam postulabit & velit audire.

TABERNACVLI LATITVDO.

LATITVDO verò Dauidici TABERNACVLI in amplissima Omnipotentis DEI benignitate summoperè delitescit, cuius quidem propagatio eisdem quibus Solis ortus, & occasus, terminis dilatatur, telluri planicie præstans, extensione fretum exuperans, ac tandem Cœlum latitudine complicans. Eius namq; erga homines amore, ac misericordia, dùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo suus de Regalibus sedibus in hæc infima hospitia transiliuit, vbi nostro humano habitu Spiritus sancti ope indutus, vt alter nostrùm est homo inuentus. Neq; hoc mirum alicui videri debet, nàm genus humanum lapsum ad uerum beatitudinis finem cognoscendum, & prosequendum ex se erigi minimè poterat, originali naturaliq; morbo ægrotans, ut Tharsensis Apostolus docet, dùm in-
Eph. 2. quit: Eramus natura filij iræ. Quod longè antea Diuinus
Psal. 50. Vates prædixerat dicens: Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ita vt antequàm nascamur contagione maculemur. Qui morbus ab Adamo infausto progenitore nostro ad vltimam sui prolem amplè lateq; diffunditur. Nemo enim mundus à sorde, nec infans cuius unius diei vita est super terram. Eò factum est ut omnes CHRISTO IESV Domino Nostro cunctorum Reparatore, & Redemptore indigerent. Vt igitur conueniens & necessarium erat,
Joan. 1. VERBVM CARO FACTVM EST. DEVS enim uerè

factus

factus est homo,vt homo fieret Devs. Congruum enim magis fuit secundam in Trinitate personam Naturæ humanæ vniri quàm aliam, vt quo condita sunt cuncta, eodem essent reparata principio, sicq; noctem tenebris errorum omnium profugatis Verbum ipsum diem reparationis nobis splendidissimum reddidit. Lætetur itaq; humana Natura quæ talem ac tãtum meruit habere Redemptorem. Ipsum verò Verbum Diuinum, verum & reale corpus humanum, phantasticũ uerò nequaquàm habuisse, aduersus Manichæorum sententiam firmissimè asseueramus. Neq; Animam Corporis Christi, sensu atq; intellectu caruisse scelesto Apollinaris iudicio sentimus. Neque etiam cœleste Corpus & carnem sine Anima cum nefaria Arrianorum conspiratione assumpsisse machinabimur. Verùm orthodoxè fatemur quicquid plantauit Devs in Natura nostra Verbum assumpsit, præter indecentiam & peccatum. Verùm si Adamus non esset in peccati Labyrinthum collapsus, Filius Dei (ut Tharsensis Apostolus ait) non esset carne humana inuolutus. Vndè lucidissimum est quòd propter humani generis reparationem Verbvm Caro Factvm Est. Quod quidem Dei Verbum ne in hæreticorum errorem incidamus in carnem non esse conuersum affirmamus. Inuertibile est, & immutabile Dei Verbum, ut orthodoxè D. Cyrillus Alexandrinus in suis Thesauris concludit. Ipsam uerò carnis nostræ cum Verbi Persona unionem, quam insitionem orthodoxè nonnulli appellarunt, tota Trinitas est operata, & si sola Persona Filij sibi, & ad se carnem hypostaticè uniuerit. Et sicut in Diuinitate una est Vsia & tres personæ, ita in Christo è conuersò est una Persona & tres substantiæ, ut disertissimè D. Ioannes Damascenus docet, hoc est, Deitas, Anima, & Caro, hoc est, Aeternum, Nouum, & Antiquum: Quoniam Deitas est æterna, Anima est noua, quoniam in assumptione carnis

Manichæorum lapsus.

Apollinaris lapsus.

Arrij lapsus.

1.Tim.1.

Eunomij lapsus.

creata, Caro verò est antiqua, quoniam ab Adamo propagata. CHRISTVS secundum Naturam Diuinam est genitus, secundùm Animam verò creatus, & secundum carnem factus. Quarè in ipso duas reales natiuitates & generationes ponimus, secùs verò de filiationibus statuimus. Ipsa verò Idiomatum communicatio facta est in concreto, & non in abstracto. Tanta enim est illarum duarum Naturarum vnio, vt si vnum de altero prædices non erres (Patrum tamen censura seruata) factus est itaque DEVS homo, vt homo fieret DEVS. Et hoc est à quo *Illyrici, & Brentij lapsus.* nostrorum temporum Monstra Flacciani & Vbiquitarij expedire se non valent. Quæ quidem vnio propter tantū & tale Incarnationis mysterium, planè per Angelum Gabrielem BEATAE MARIAE VIRGINI denuntiari decuit, vt lapsui noua reparatio responderet. Ob id in ea nec voluntatem creaturæ prolem seminasse, nec Naturam tantùm germinasse, sed Spiritum Sanctum, Altissimique *Mirabilia sunt Sacramēta cùm Verbum fit caro.* virtutem de VIRGINE MARIA Virum propagasse cum D. Anselmo firmissimè tenemus. Quod celebre Sacramentum Paranymphus è Cœlo delapsus significauit dicens: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te, ideoq; quod ex te nascetur Sanctum, *Luc. 1.* vocabitur filius DEI. Fuit enim DEIPERA sine pudore fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Portauit Stella Solem, Palmes Vitem, Riuus Fontem, Filia Patrem, Creatura Creatorem. Fuit Mater Patris, & Filia Nati. Fuit quoq; prole posterior, contento *Gen. 8.* minor, Mater virgo fuit, & cum DEO Filium communem habuit. Maledictionem legis euasit, vbi maledictæ fuerunt Virgines coniugatæ: Virgines quidem, quia non genuerunt, cōiugatæ verò, quia in dolore pepererunt. Sed vtrunq; DEIPERA VIRGO euasit, quia virgo genuit, *Appositū simile.* & dolorem non sensit: Nam Solis radius non frangit speculum & integritatem Virginis ingressus & egressus

DEI

Dei vitiare non potuit. Dùm autem hæc fiunt minimè gentium duo corpora fuere simul, ut perperàm defendit Durandus. Ipsum verò Christi Corpus de purissimis Mariae Virginis sanguinibus formatum certissimè credimus: Quod non solùm in conceptionis instanti factum cum D. Gregorio, verùm etiam & animatum cum D. Ioanne Damasceno, & à Verbo assumptum cum Hæreticorum Malleo D. Augustino & credimus & affirmamus. Ipse autem Dominus per Incarnationem factus est seruus, æternus, temporaneus, & immensus fit paruulus. Summus fit imus, incõprehẽsibilis fit localis, & quodammodò simplex fit concretus. Videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis, Immortalis occiditur. Manibus fœmineis Orbis sator portatur, Panis Angelorum manducatur, Virtus cœlorum infirmatur, & Vita omnium moritur. Et cùm Devs nec peccet, nec peccare possit, nec etiam peccandi causa existat, vt perperàm blasphemando Caluinistæ asseuerant. Hinc clarissimum euadit, quòd Christvs nec peccarit, nec etiam peccare potuerit. Illos namq; defectus assumpsit, qui gratiæ & lumini gloriæ non detrahunt. Quarè nè dùm fomes, verùm etiam omnis inordinata peccandi facultas ab eo penitus est remouenda, quæ si per impossibile adfuisset, nunquàm tamen peccare potuisset. Ipsum uerò Christvm gratiarum omnium plenum cum Euangelica Hystoria in apertum quoq; referimus, atq; adeò plenum, vt de plenitudine eius omnes nos acceperimus. Et sicut lex per Moysem data est, ita gratia & ueritas per Iesvm Christvm facta sunt. Et cùm per eum futura salus ad omnium hominum genus spectaret, omnibus etiam hominum conditionibus eius natiuitatem manifestari, scilicèt Pastoribus, Magis, Simeoni, & Annæ congruit. Quarè nè fidei propagandæ derogaretur, ortum suum per se ipsum in medium proferre non decuit: Meritò itaq; atq; rationabiliter Magi Re-

Durandi lapsus.

Caluini lapsus.

Ioan. 1.

ges

ges ad eũ uenerandũ humilimè peruenerunt, cui reuerentiam, latriæq; honorem exhibuisse solidissimè confitemur: Sed Stellam quæ Magos ad CHRISTVM natum perduxit, etsi de cœlestium Stellarum numero semoueamus, omninò tamen à DEO de nouo creatam affirmamus, non enim ex Stellis illis erat, ut lux Doctorum, & Ecclesiæ Catholicæ firmamentum D. Augustinus aduersus Faustum Manichæum increpare videtur, quæ à creaturæ primordio ordinem suorum itinerum sub Creatoris lege custodiunt, sed Nouo VIRGINIS Partu nouum Sydus emicuit. Deniquè CHRISTVM circuncidi octauo ætatis suæ die congruum fuit, tùm ut partus celaretur diabolo, tùm etiam ut incredulis Iudæis occasionem detrahendi in ipsum auferret. Ipsum uerò CHRISTVM non sine magno DEI consilio, hominumquè stupore, trigesimo ætatis suæ anno Præcursoris Baptismate baptizari condecens fuit: Qui tactu suæ mundissimæ carnis uim regenerandi contulit aquis. Fuit autem CHRISTVS tàm eximiæ magnificentiæ & tàm immensæ virtutis, vt quæcunq; miracula uoluisset, ea propria virtute facere potuisset. Vndè in Nuptijs aquam in vinum commutauit: Quodlibet enim Diuina vi in quodlibet conuerti potest. Cœco nato lumen reddidit; Viduæ Filium de loculo mortuum ad vitam reuocauit: Et Lazarum quatriduanum & fœtidum è monumento egressum Marthæ & Magdalenæ sororibus restituit. Qua propter de priuatione ad habitum dari verum regressum garriant, & musitent quantùm uolunt Philosophi, pro veritate defendimus. Quàmplurima uerò miracula quibus se uerum esse Messiam in lege promissum aduersus peruicaciam Iudæorum consultò prætereo. Habuit CHRISTVS Dominus præter Diuinam scientiam eam qua Beati in Patria potiuntur, nam fuit ab instanti suæ conceptionis uerus comprehensor, cuius quippè Anima sanctissima semper beata fuit, etsi passibilis esset, quod ipse

Fausti Manichæi lapsus.

Immensa CHRISTI virtus.

Ioan. 1. Ioan. 9. Ioan. 12.

ipse testatur dicens: Tristis est anima mea usq; ad mortẽ. *Luc. 22.* 63
Et si beatitudo eius ad corpus non redundaret, relatore D. Chrysostomo in Homil. de Transfiguratione erat ex dispensatione Diuina, ut in corpore suo passibili, Redemptionis nostræ mysterium adimpleret. Acquisita etiam scientia illi non defuit, eaq; experimentalis, secundum quã didicit ex his quæ passus est obedientiam. Cumq; Seruator noster CHRISTVS IESVS ad hoc in mundum uenerit ut sua meritorum ubertate, nostram ditaret paupertatem, ideò ipsum & sibi & nobis meruisse consentaneum erat. Meruit tamen plus nobis quàm sibi, (etsi impij Caluinistæ oppositum sentiant.) Quarè ut nos à mortis timore eriperet, peccatoq; mori admoneret, ac nostros animos ad futuram Resurrectionem pararet, nõ modò CHRISTVM pati sed etiam ut humanum genus in libertatem uindicaret, extremum uitæ Spiritum in Crucem ædere oportuit. *Caluinistarũ lapsus.* Neq; ob id eius Diuinitatem Animã & Carnem (eo mortuo) deseruisse dicendum est: Quod enim semel assumpsit nunquàm dimisit. Eius tamen Animam quamdiù ipsius corpus in sepulchro iacuit, tamdiù in inferiores partes terræ fuisse absque dubio tenemus. Et quamuis in cineres quantumcunq; tumulo subesset, redigi nequaquàm potuisset; consentaneum tamen fuit tertia die Dominum IESVM CHRISTVM à mortuis resurgere. Mortuus est *Rom. 4.* enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Cuius Resurrectionem non modò corporum nostrorum, uerum etiam & animarum causam fuisse fidelissimè cum Apostolo dicente credimus. Qui suscitauit IESVM CHRISTVM à mortuis uiuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantem Spiritum eius in uobis. Qui tandem ad dexteram DEI Patris *Rom. 6.* Omnipotentis sedens, uiuit & regnat in sæculorum sæcula, Amen.

SVper huius autem PRAECIOSISSIMI TABERNACVLI excelſum & eleuatum ſolium tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ, non Trina profectò Vſia, vt viperina Arrianorum guttura eructarunt, ſed vna, relationibus perſonarum vtpotè diſtincta ſunt reſidentes. Eſt enim DEVS in Thronis vt Maieſtas, in Cherubin ut Veritas, in Seraphin vt Charitas, per quæ notatur perſonarum Trinitas. Nonnè admirabiles etiam & ineffabiles ſunt eius habitatores? Quid etenim admirabilius Patre? Et quid eius Filio ineffabilius? Quidvè tandem Diuinius ueriusq; Spiritu Sancto? Cognoſcitur enim in Theologico hoc TABERNACVLO eximia ipſa Perſonarum Trinitas gemino cognoſcēdi modo, quorum unus eſt per ueſtigiū, alter uerò per imaginē, hic propinquus, alter verò remotus. Qui deſumitur à ueſtigio, ita declarāt; ſicut enim per ueſtigij impreſſionem in corpore cedente relictam, in prætereuntis animalis cognitionem deuenimus, ità quemlibet effectum contemplantes, ueſtigium Trinitatis habebimus. Cognoſcitur enim in magnitudine creaturarum Potentia Patris, in diſpoſitione Sapientia Filij, & in ornatu Bonitas Spiritus Sancti. Alter uerò ab imagine deſumitur in ſola Natura intelligenti exiſtente, nec in ea uniuerſa, ſed in ea ubi Mens portione uiget, nec in ea ſeorſùm, ſed cum ſuis facultatibus conſiderata, nec in ijs ocìantibus, ſed operantibus. Veſtigium rei partem, non totum oſtendit. In Diuinis totius & partis nomina abhorremus. Imaginem vnica habet hypoſtaſis, ſed tres hypoſtaſes faciunt Trinitatem. Quarè ſi aliqua Imago Trinitatem ſit relatura, his conſtabit conditionibus, HOMOVSIA ſiuè conſubſtantialitate, diſtinctione & ordine. Propter primam Diuinam non dilaniabimus Naturam. Eſt enim una non trina Deitas, quam tres concomitantur proprietates, ve-

Appoſitū ſimile.

Multiplex modus cognoſcendi Trinitatem.

ritas,

ritas, simplicitas, ab omni motu immunitas, cùm nec generetur, nec generet, nec augeatur, nec minuatur, nec alteretur, nec loco dimetiatur, sed immensa manens intra cōfinia nullius generis contineatur. Omnia repleat.

Iupiter est quodcunq; uides, quodcunq; mouetur.
Iouis omnia plena.

Sphoera intellectualis cuius centrum ubique est, circumferentia nusquàm? Per alteram conditionē hypostases multiplicamus. Per tertiam Diuinarum operationum series nobis innotescit; Vndè Pater præcedit, qui producit, & non producitur. Subsequitur Filius, qui producitur & producit. Tertius est Diuinum Flamen, quod producitur, & non producit. Ob quas res alterum altero minimè imperfectiorem suspicamur, sed in Potentia, Maiestate, & Gloria cōfitemur æquales. Ipsa uerò Diuina Nomina tripartita sunt, alia communia tantùm, alia propria tantùm, alia partim communia, & partim propria. Et hæc dicta sint internarū actionū habita ratione. Nam si ad externas respiciamus; nullum habebimus proprium nomen; Sicut enim creationem soli Patri nō debemus ascribere, nec recreationem soli Filio, nec solamen soli Spiritui Sancto, sed tres simul Dominum Nostrum, salutem nostram, refugium nostrum, laborum nostrorum mercedem, & fœlicitatem confiteri tenemur. DEVS Pater, DEVS Filius, DEVS Spiritus Sanctus; nec perindè tres Dij, sed vnus est DEVS, vt orthodoxè D. Athanasius in suo Symbolo vaticinatus est. Quarè ineffabilis est actio DEI intranea, qua vna & indiuidua Natura Tribus personis communicatur, re ipsa inter se, & ab essentia sola ratione distinctis. Quæ ita hoc Ternario gaudet, vt nulla ui fusiùs explicari possit, nec pressiùs cōhiberi. Sunt enim duæ processiones in Diuinis, Verbum ab ingenito Patre semper emanat, & ab vtroq; Spiritus Sanctus, Tertia in Trinitate persona, tanquàm ab vna communi utriusquè virtute per uoluntatis modum, necessarioquè producitur. Est itaq; vnica amborum spiratio, qua sicut non constituun- *Summa fidei christianæ.*

tur, ita nec dissEparantur. Altera rectè à Theologis generationis nomine explicatur, cùm sit per modum Naturæ. Est enim origo quædam uiuentis à viuente, secundum eiusdem Naturæ similitudinem & per intellectum, vt THEOLOGVS per Antonomasiam dictus orthodoxè fassus est, quod

Iuliani Aposta- tæ lapsus. etiam D. Cyrillus Alexandrinus aduersus Iulianum summa cum dexteritate concludit. Altera spiratio nuncupatur quæ & à Patre & à Filio est. Actus Essentiales si absolutè consideremus Notionalibus priores sunt, in persona uerò nequaquàm eos præcedunt, nec è contrà, uerùm simul omninò & re, & ratione eliciuntur & sunt. Diuinæ personæ se totis

Aureoli lapsus. minimè distinguuntur, nec per modos seu res absolutas (vt fassi sunt nonnulli) sed proprietatibus relatiuis ut relatiuæ sunt. Nullam temporis aut Naturæ prioritatem in hac effabili Personarum Diuinarum Trinitate admittimus. Quod Sacramentum adeò est absconditum ut nulla ualeat ratione humana indagari. Non implicare tamen dicimus, hominem adhuc mortalem ad clarissimam Diuinitatis visionē prouehi, sicut credimus Hebræorum signifero Moysi, & Tharsensi Apostolo collatam fuisse. Quarè intellectus noster ex se nihil aliud de Diuinis personis percipit, quàm id

Rom. 1. quod sibi per effecta manifestatur, dicente Apostolo: Inuisibilia enim ipsius à creatura Mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Ipsa uerò creatura rationis compos in beatitudinem Naturali quadam appetitione fertur, quæ & in intellectu & in uolūtate cōsistit, qua omnibus Tribus Personis necessariò fruimur. Sunt autem Tres ipsæ personæ Diuinæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus quos non operibus indiuisos ad extra, uoluntate concordes, omnipotentia pares, & amplitudine æquales confitemur. Et quamuis Filium à Patre, & ab utroq; Spiritum Sanctum procedere asseramus, non ob id Pater Filio, neq; Filius & Pater Spiritu Sancto priores: Sed æternus Pater, æternus Filius, & æternus Spiritus sanctus. Quarè nō immensitatis pluralitate Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus

Sanctus:

Sanctus: Nec æternitatis Trinitate æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus à D. Athanasio carmine Symbolico personatur, sed unus æternus, unus immensus, & unus omnipotens. Quarè Filium Patri ab æterno secundum Diuinitatem connectamus oportet, quod tamen impij Donatistæ sæuissimè negarunt. Qui lucis æternæ candor existens, atq; diuinæ Maiestatis sine labe speculum, non ex tempore (ut Arriani euomere non erubuerunt) sed est ab æterno à Patre genitus, & ab eodem non per modum artis, sed Naturæ progrediens. Quarè Patri cum Filio, & Filio cum patre semper omninò licuit esse. Postea etsi Pater de eiusdem Vsia Filium uera & uniuoca generatione produxerit, sibi in omnibus & per omnia æqualem, cui Eunomiani fidem ahibère, admodùm ineptè & crassè abnegarunt, in quo errore Stancarus & Antetrinitarij nostris hisce miserimis temporibus satis deperditè prolapsi sunt. Nec quisquã mihi obijciat in hoc & in cæteris dogmatibus hodiè quàm plurimos ex Catholicis ad hæreticos accedere, ex sectarijs verò exiguos sanè ad Catholicos conuolare. Venit mihi in mentem argutum illud Agesilai Philosophi dictum, ex quo cùm quæreretur, cur quàmplurimi ab Academia ad Epicurum desciscerent, ualdè pauci resilirent, peracutè respondit, ex uiris Eunuchos gigni posse, ex Eunuchis autem Viros nequaquàm solère. Sic à sapientia in erroris puteum leues homines facilè præcipites feruntur, sed ab errore in uiam redire, & gradum pedemq; reuocare ijs dumtaxat concessum est.

Donatistarũ lapsus.

Eunomij lapsus. Stancari, & Antetrinitariorũ lapsus.

Eruditissimũ effatum.

Quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad ætera uirtus.

Quarè etsi quælibet Diuina Persona uerè sit DEVS, non tamen Tres Dij dicuntur, sed unus Dominus & unus DEVS: Vniuersa enim tranquillitas, suauissimusq; ordo Principem unum expostulat: Quod nequaquàm Aristotilẽ latuit lib. Diuin. 12. dùm dixit: Haudquaquàm Principum pluralitatem bonam esse. Vna itaq; est hæc fœcundissima Natura

simpliciter & absolutè prima, realis, per se existens, actualissima, simplicissima, immensus pelagus continens cunctas perfectiones, quæ ab ipsa Diuina Natura distinctæ sunt. Quarè non asserimus se DEVM, nec alium DEVM, sed aliam personam Diuinam orthodoxè & generare & spirare fatemur. Sic enim DEVM de DEO, Lumen de Lumine, DEVM verum de DEO vero in Apostolico Symbolo auribus oculisq; decantare percipitur atq; videtur. Et quãuis Filius non sit aliud à Patre, cùm ipse de se dicat: Ego
Ioan. 10. & Pater vnum sumus: Alius tamen orthodoxè asseritur & affirmatur. Cæterum in hoc Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio, à qua opera ad extra cuncta redundare autumamus, nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ Tres Personæ coæternæ sunt & coæquales. Quarè Patri nullam aut Naturæ, aut Temporis prioritatem attribuimus, quapropter Patrem nedùm totius Deitatis & Diuinitatis, sed etiam filij principium statuimus. Esse autem genitum ita à Spiritu Sancto negamus, ut non ob id ipsum propriè ingenitum appellemus, sed propriè dicitur Amor Patris, Filijq; Nexus. Quarè colligentes ea quæ dicta sunt, si tàm altissimorum mysteriorum abdita pandere est impossibile (vt D. exclamat Ambrosius) mirum non est, si omnis Ingenij vis in eorum consideratione deficiat, mens hominum obtenebrescat, Angelorum vox quoq; sileat. Itaq; Laus, honor, & gloria DEO PATRI, ET FILIO, SANCTO simul PARACLETO per æterna sæcula in ora omniũ resonet. Amen.

TABERNACVLI IANVA QVO AD EXTEROS.

OSTIVM verò, per quod in hoc sublime, & egregium TABERNACVLVM ij qui foris sunt, ingrediuntur, clarissimè baptismatis Sacramentum existit. Nemo enim sine hoc uitam nanciscetur æternam; neq; ipse summo Bono potietur, quod & ipsa Veritas docuit dicens: Nisi quis

renatus

renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introi- *Ioan. 3.* 166
re in Regnum DEI. Primum nanq; locum inter cætera Sacramenta quæ humanæ ſaluti neceſſaria ſunt, & gratiam cauſant, Baptiſmus eſt. Et ſicut Euchariſtia omnium Sacramentorum, omniumq; Sanctificationum (ut D. Dionyſius Areopagita ait) conſumatio eſt: Ita Baptiſmus ſalutis noſtræ Ianua propatula eſt, quo ſine id totum quod in uita agitur, cùm ex fide non ſit, peccatum eſt. Qui ita neceſſarius eſt, ut eum ne dùm Presbyteri, uerùm etiam & laycus, & mulier conferre ualeant. Qui etiam parentibus renuentibus, Iudæorum, uel quorumlibet aliorum Infidelium adultis pueris impartiri poteſt; Quoniam hæc propatula Ianua nemini clauditur, uerùm ſingulis quibuſcunq; ſemper patere dignoſcitur. Et quoniam ab accepta Baptiſmatis gratia ſæpenumerò in peius prolabimur, acceptamq; innocentiæ ueſtem noſtra culpa miſerimè perdimus, Pœnitentia, & reliqua Sacramenta, quæ in numero ſeptemnario ab ipſo generis humani Redeptore inſtituta ſunt, nobis neceſſaria ſunt, ut ſauciatos lethali Adami vulnere, Samaritæ CHRISTI oleo & Vino cicatricibus impoſitis curet atq; ad meliores fruges reducat. Quarè neceſſariò aduerſus fœtida Sectariorum ora Indulgentiarum theſaurum in Eccleſia ſua reliquit, qui à Dominica paſſione ueluti ab effectiua ſufficientiſſimaq; cauſa uim ſuam recipit, & cùm ab infinito emanet, indeficiens eſt. Indulgentia uero eſt pœnæ ſatisfactoriæ relaxatio, non ſecùs ac ſi unus ut poteſt, pro alio ſatisfaceret, ſi tria adſint requiſita, nempè in dante authoritas, causa pia & iuſta pro qua datur, & in recipiente gratia, præterquam nulla alia diſpoſitione eget. Indulgentias uerò conferre, eſt pro peccatis ſoluere, quę etiam pleniſsimè pro ſubſidio temporaneo dari poteſt. Eiuſmodi ſumma largitio à SVMMO tantùm PONTIFICE, aliqua uerò non plenaria etiam ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Nuntijs, Legatis &c. Etſi in peccato mortali exiſtant conferri poteſt. Sacerdotibus uerò Parochialibus huiuſmodi facultas minimè conceſſa.

Maxima Baptiſma tis neceſſitas.

Sectariorum lapſus.

Indulgentia quid.

cessa est. Indulgentiam, qui non facit id pro quo datur, nequaquàm consequitur: Sicut nec in peccato mortali existentes, cùm charitate exuti de peccatis ante confessis satisfacere nequeant. Defunctis uerò in Purgatorio degentibus summoperè necessarias esse asseueramus, cùm pro ualdè bonis sint gratiarum actiones, & pro nō ualdè bonis propitiationes, & pro ualdè malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, sunt tamen qualescunq; uiuorum consolationes. Has qui negligunt reprobi sunt, qui contemnunt temerarij, qui negant ab Ecclesiæ gremio sunt propulsandi. A'qua quicunquè fuerit separatus relatore D. Augustino etsi laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere quoniam à CHRISTI Ecclesia seiunctus est, ira DEI manet super eum, nec habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam noluit habere Matrem. Ipsam uerò Baptismatis Ianuam ingredientibus postea, quàmplures certò & admodùm spectabiles figuræ, imaginesq; se se obijciuntur: Inter quas maximè uidetur esse propriȩ resurrectionis imago; quæ quidem omnium uniuersè erit, sed non omnium in melius (ut

1. Cor. 15. Apost. ait.) Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quæ (ut idem Doctor asserit) fiet in ictu oculi, in momento, in nouissima tuba: Et tandem in uniuersali Iudicio quod fiet in Valle Iosaphat, ante Maximum Iudicem, omnes & singuli comparebimus, nostræ uillicationis rationes reddentes: Et qui bona egerunt ibunt in uitam æternam, qui uerò mala egerunt, ibunt in resurrectionem

Ioan. 5. Iudicij. In hac itaq; tam euidenti apertissimaq; ueritate, quid dicent miserimi nostrorum temporum Sectarij perperàm asserentes: Bona opera nostra plus nobis obesse ad salutem, quàm prodesse, cùm tandem de bonis & malis operibus rationem reddituri simus, ut ipsa Saluatoris Nostri Doctrina instructi sumus. Ipsa uerò Vita æterna in DEI OPT. MAX. fruitione posita erit, in qua omnis Naturæ vis explebitur. Quæ in tota Anima consistet, cùm ipsa per se beari debeat, quæ an prius in Intellectu, quàm in uoluntate

Sectariorum lapsus.

Matth. 25.

consistat

consistit, quæstio inter D. THOMAM, & Scotum est de uocibus & non de re ipsa, inter quos concordiam moliar dùm respondebo. Damnati uerò Sanctorum gloriam ad suam ipsorum confusionem, vt magè torqueantur uidebunt. Et eccè hic abyssus multa uidetur offerri. Quarè si posthàc ulteriùs incedere & introire tentabimus, exitum ob nostram imbecillem Naturam non reperiemus. Quarè ut sympathia & allusio Dauidici TABERNACVLI Theologico hoc nostro accommodetur, ad Columnas tàm mirifici TABERNACVLI regrediamur.

FACVLTATVM OMNIVM, SCIENTIARVMQVE' COLVMNAE PRO THEOLOGICO TABERNACVLO MVNIENDO, ET FVLCIENDO STATVVNTVR ET ORDINANTVR.

QVONIAM autem admirabile TABERNACVLVM Dauidicum nonnullis Columnis impositum residebat, pulcherima sanè allusione nostræ Theologiæ specimen præsefert, quippè quæ varijs, diuersisq; scientijs & facultatibus, tãquã columnis superposita, mittat ancillas suas uocare ad Arcem. Adiuuat mirumin modùm Theologiam uniuersa Philosophia, quæ à DEO OPTIMO MAX. nobis donata est. Et quæcunq; in Philosophorum uoluminibus ueritati Theologicæ minimè consentire uidentur, non ad Philosophiam, sed ad Philosophicam commentationem pertinere putanda sunt. Sciunt enim omnes quàm longo inter se distent interuallo tùm Philosophia, tùm Philosophica commentatio. Quæcunque uerò in eisdem consona reperientur, non tanquàm gentilia, sed tanquàm nostra, à Gentilibus sunt arripienda, ut Israelitarum more spoliata Aegypto in nostras oras, aurea, & argentea uasa asportemus. Philosophiæ uerò tanta est utilitas, ut non solùm artibus illis quibus corpus tuemur, principia tribuat, sed animi

Naturalis Philosophiæ encomium.

mi

mi uires mirificè iuuet. Quis enim Vniuersi præcipuas partes sibi inuicem cedere, Geometricam inter se seruare proportionem respiciens Iustitiam & Aequitatem nō amabit? Quis enim uoluptatem non esse magni ponderis bonum, uerùm accessionem quandam à Physica Auscultatione didicerit, Temperantiam non amplectetur? Quis tàm æquo & forti animo erit, qui paucis Naturam contentam, abundeq; omnibus communicare prospiciens, liberalis & prudens non euadet? Habet peculiare proprium hoc maximum emolumentum, nam ad separabilium Diuinarumq; Mentium cognitionem nos ducit, cui inhęsère Plato & Aristoteles dùm à Naturalis motus æternitate, illius qui hunc motum efficit, æternitatem conclusère infinitatem; atque virtutem. Vndè Diuinum cultum ascendit, & in illius amorem rapit mentem atq; inflammat. Dùm in illius specimen & admirationem nos ducit, qui cuncta ex nihilo efficere potest. Quam admirationem Fides & Spes circà eundem constantes consequuntur. Hinc clarissimum euadit, quòd Naturalis Philosophia solùm inter mobilia interijcitur: In qua per se duo tantùm rerum Naturalium principia collocamus. Et hæc sunt ingenerabilia & incorruptibilia; nec ex alijs nec ex alterutris; omnia tamen ex ipsis. Materia uerò prima, quam Philosophorum Princeps Hilen, Græci Chaos, Catholici Abyssum, alij formarum Panspermion, & Plato Pandochen non absq; ratione nuncuparunt, actum suę præsentię habet, quem Scotistæ id ab Henrico Gandauensi mutuantes entitatiuum dixerunt, qui ex ea est, & non à forma, quoniam se ipsa est ens, & ingenerabilis & incorruptibilis. Et quamuis in hoc D. THOMAS & Scotus uerbis dissentire uideantur, in re autem sunt concordes. Ipsa uerò forma est magis ens quàm Materia, & eadem ratione est magis ens quàm concretum. Ipsa autem Anima cùm sit principium quo uiuimus, intelligimus, mouemur & sumus. Cur liber de Anima ad Naturalem Theoriam non pertinebit? Quæ omnium scientiarum, una duntaxat Sacra Theologia excepta,

D. Thomæ, & Scoti concordia.

pta,

pta, præstantissima est. Dicant quicquid uelint alij, quicunque uim ratiocinij Aristotelici ad lapidem Lydium non probarunt. Quarè solemnem præstabilemque Philosophiæ Naturalis Columnam cum ipsa Aristotelis sententia super firmam Entis Naturalis sedem stabilimus.

PROPIVS tamen ad Diuinam Sacramquè Theologiam Metaphysica accedit, cui quicunque addictus est, cœlos cùm libuerit conscendit, nec solas Animas cœlestium Orbium contemplatur, sed ulteriùs progrediens, oculos in eius Diuinissimum intuitum figit, qui virtute illas exuperans immensa materiei immunitate cognoscendi præstantia, intelligente vita viuit, & stabilis manens, omnia alia à se, ad sui desiderium allecta continuò exagitat, & ex alta specula supremæ Sphœræ (vbi præsertim residet) prospiciens sine discursu cuncta intuetur, in se ipso existens, non tamen extra se ipsum existentia, omnibus cauet, & prouidet, & nihil fieri vnquam permittit, cui celerimè opitulaturus non adsit. Indè DEVS dictus, impatiens consortis, MONARCHOS, in æternum regnat, ad quem cùm peruenerit Primus Philosophus sistit contemplationem, immensus enim processus excluditur, & interna illius Diuini pectoris; pro humani & hebetis intellectus imbecillitate rimatus, non nisi mortem commentatur, ideò exiguo autem tempore perdurat. Cui altissimæ contemplationi si Theologicum hoc nostrum TABERNACVLVM adiunxeris, ne transuersum quidem unguem à Theologo discrepabit. Primæ autem Philosophiæ Theoria de substantia est, quę à Materia sensili re & ratione abiuncta est. Quam aduersus Alpharabium non veram & adæquatam Transphysicæ Basim asserimus sed solùm Principem. Ipsa verò substantia abiuncta in genere est, cùm quodammodò concreta sit, ex sui Natura summæ intelligibilis, cùm actus sit ratio intelligendi ipsum quod quid est, tamen ab Intellectu humano magnitudini copulato definitiuè non potest intelligi. Rectè enim conclusit Aristotiles: Intelle-

Primæ Phylosophiæ commēdatio.

Primi Philosophi munus quale.

Alepharabij lapsus.

ctus ad ea quæ ſunt omnium Naturæ manifeſtiſsima ſe habet vt oculus Nicticoracis ad diei lumen. Quarè ſummoperè in Ariſtotilis Philoſophia cæcutire illos aſſero, qui dicunt Ariſtotilem lib. de Ani. 3. contex 36. dùm inquit: Nùm autem intellectus non ſeparatus à magnitudine intelligat aliquid abſtractorum, poſteriùs dicendum, attuliſſe in medium quæſtionem, & non ſoluiſſe. Propoſuit enim in hoc contextu, & ſoluit lib. Diuin. 2. & 9. Nec nobis obeſt id quod Ariſt. lib. de Ani. 3. concludit, dùm inquit: Excellens intelligibile perficit Intellectum. Ipſius verò Naturæ Intelligentis perſpicacitas tãta eſt, vt totum Ens pro obiecto habeat, & in vniuerſum ipſius ambitum longè lateq; fundatur. Et cumprimùm maximè Entia in Natura res ſingulæ ſint (relatore Ariſt. in Categoria de Subſtantia) ipſa verò vniuerſalia aut nihil ſint, aut rebus ſingulis poſteriora ex lib. de Ani. 1. Quarè Intellectum propria Intelligentia ſingularia intelligere defendimus. Huius autem Primæ Philoſophiæ Baſis eſt Ens, inquantùm Ens, commune DEO & Creaturis, Enti reali, ſed non rationis, quod analogum eſſe ex Ariſt. ſtatuimus.

Quorundam lapſus.

QVid dicam de Morali? Hęc tantùm abeſt, vt Theologico hoc noſtro TABERNACVLO obſit, vt ei maximè ſit affinis, cùm pro excolendis animis ſit tradita, vndè rectè cum illis Rebus publ. actum arbitror, in quibus paſſim hęc ſaluberima Philoſophiæ pars ſubminiſtratur. Verùm cùm in ea de fœlicitate agatur, fœlicitatem abſolutiſſimum opus eſſe fateri operepreciùm eſt. Quarè ijs minimè aſſentiendum eſt, qui à fortuna ortum & cauſam contendunt. Qui verò fœlicitatem in uoluptate pòſitam eſſe fatentur, quadrupedem inter, & hominem intereſſe putant nihil. Qui uerò in fortunis, & honoribus conſtitutam eſſe uolunt, nimirùm & ipſi falluntur. Quid enim fœlicitate conſtantius? Et quid hominum opinione atq; fortuna fallacius? Sunt qui in uirtute eſſe tueantur. Verùm accidit, ut

Moralis Philoſophiæ laus.

Quorundam lapſus.

is

is qui virtute pollet, quandoq; in miserijs & luctu deformis, mendicus, æger degat, & orbatus. Quarè ueram fœlicitatem in DEO OPT. MAX. constituimus, quæ talis ac tanta erit, qualem nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis vsquàm ascenderit. Basim itaq; huius Columnæ hominem benè moratum, & paratum parère præcipienti constituimus. Si quispiam neutrum præstet, sciat (relatore Hesiodo) se inutilem fore.

Iuris Prudentiæ dignitas.

SED ne carpendi studio, magis quàm propositum agere videar, ad Legalem Philosophiam transeo qua nulla melius id quod Theologia exoptat, exequitur, iura Naturæ conseruat, DEI OPT. MAX. nutui præstò est. Dùm vnicuiquè suum tribuendum, nemini nocendum, alienum non rapiendum, pupillos & viduas protegendas profitetur. Cuius artis principia cum huius nostri Theologici TABERNACVLI initijs maximè consonant. Quarè terquè quaterquè beatos Iurisprudentes esse dico si omnia hæc ad verum & optimum finem dirigere satagent.

Mathematicæ excellentia.

MAXIMO sunt vsui Mathematicæ Disciplinæ ab ipsis enim omnis res quę aliquo modo à Crassitia seiungunt, ad omninò secreta facilis nobis aditus datur. Hinc Gygantum labor apud Poëtas, dùm Pelion Ossæ, & Ossam Pelio superponunt; Quod nil aliud erat quàm media molis quantitate ad virtutis quantitatem aspirare. Ne omnes enumerem, hoc tantùm dicam, sine arte numerandi, quæ Mathematicæ est, admiranda Sacramenta, quæ nunc in binario, nunc in ternario, nunc in septemnario, duodenario, quadragenario & quinquagenario numero includuntur, non intelligimus. Quæ mysteria concinnibus sanè allusionibus cum applicatione ad Theologicum hoc TABERNACVLVM nostrum summa cum dexteritate Theologia Aegyptiaca declarat, vt inter respondendum si opus fuerit aduertam. Quarè vt omnibus apertissimus detur campus my-

D 2 steria

steria omnia Theologiæ Aegyptiacæ cum allusione ad Sacram Scripturam & Patrum & Conciliorum doctrinam me in medium declaraturum, vt uerissima, pro unica conclusione repono.

Musicæ altitudo.

MVSICAM pariter multa pro sui cognitione requirunt: Hinc Cœlorum Concentus, Polorum Vnionem, Angelorum Melodias, satis concinnas & sonoras Pythagoras qui Philosophorum author apud Italos extitit intelligebat. Huius enim laudes olim Theologi Aegyptiaci decantarunt, & ipsius præconia ad ueritatem traduxerunt. Nã ipsi summo cũ mysterio Musicam quatuor uocum inuenerunt & eam ad uenturum Messiam accommodarunt. Quod mysterium (si ut par est) Hebræi intelligerent quem venturum expectant Messiam, iamdudùm aduenisse cognoscerent.

Herbarũ, Animalium, & Lapidũ notitia valdè salubris est.

ASPERNANDA non est Herbarum Animalium, & Lapidum cognitio. Qui enim scire possemus, cur Diuinus Vates magis se Hysopo, quàm Ruta aspergi & mundari maluerit? Cur Saluator Noster ab Oue libentius, quàm à Leone docendi sumat occasionem? Cur nunc Leonis, & Columbæ nominibus delectetur, nunc eadem abhorreat? Cur Iaspis & Margaritis in Sacris literis tanti fiat. Quæ mysteria clarissimis significationibus abdita Aegyptiorum Theologia perpendit.

Medicinę sublimitas.

QVAM PLVRIMA sunt, quæ sine Medicorum ope minimè cognoscimus, quæ nunc consultò prætereo, & si interdùm quem Medicus moriturum dixerit, eundem superuicturum dicat Theologus, non tamen utriusquè iudicium contrarium iudicandum est, quoniam ille proximarum causarum, is verò primæ, quæ DEVS est rationem habebit. Et hæc omnia satis apposite Theologia Aegyptiaca demonstrat.

In

IN SVPERIORI congressu peroptimè egerunt qui CABALISTICA Iudæis reliquerunt. Ego autem dico CABALAM purum figmentum esse, præsertim dùm nonnulli fateri nõ erubescunt, DEVM OPT. MAX. Hebræorum Signifero in Monte Syna in Arabia duas dedisse Leges, unam in Tabulis lapideis scriptam, alteram uerò in auribus. Hoc totum purum commentum est, parcant mihi Rugerius Bacconitanus & reliqui. Illa uerò quæ pro statuenda CABALA ex Libro Esdræ Quarto nonnulli dicunt longè altiorem patiuntur Intellectum quem inter disputandum in medium afferam. Nec nobis obest, id quod Tharsensis Apostolus dicit: Quid ergò amplius est Iudæo, aut quæ utilitas circumcisionis. Multum quidem per omnem modum. Primùm quidem quoniam credita sunt illis eloquia DEI. Non enim de CABALA hic statuere disputationem intendebat Apostolus, sed de Hebræorum infidelitate ob quam miserimè à ueritate apostatarunt. Inquit enim Apostolus alibi loquens de Oleastro & de Oliua. Fracti sunt rami ut ego inserar, benè propter incredulitatem, tu autem fide sta, noli altum sapere sed time. Reliqua uerò quæ ex alijs pro statuenda CABALA ex Patribus Rugerius Bacconitanus & alij in medium afferre solent, longè alium pati Intellectum ex ijsdem Patribus demonstrabo.

Cabalistarum lapsus. *Rom. 3.* *Rom. 11.*

DIGNISSIMA sanè est Rationalis Philosophia, quę Logica appellatur, de cuius præcipua parte, Dyalectica in quam, nunquàm satis dictũ est, quæ omnibus necessaria vtilis & opportuna est. Hæc sola uerum à falso & falsum à uero discernere, syllogizare, & propositiones, quæ solùm id esse & non esse apud cæteras orationes nobis indicant formare prædocet. Expers itaquè Dylactices TABERNACVLVM hoc Theologicum non adeat, nisi fortè plerunq; uelit cum magno sui dedecore mendatium admittere, & renuere ueritatem. Partim quidem conferunt cæteræ artes & scientiæ ad TABERNACVLVM Theologicum hoc nostrum, sed Dyale.

Dyalectices celsitudo.

Dyalectica adeò per uniuersam Theologiam est dissemina-ta, vt à D. Augustino sacrarum literarum Neruus dici meruerit. Cauenda tamen sunt sophismata, vitandæ cauillationes, tollenda rixandi libido, uerùm diuidendi, diffiniendi, demonstrandi, & componendi usus ad ueritatem peruestigandam in ea traditus summoperè est necessarius, quam si scientiam dixerimus cum Doctore Subtili pro ueritate pugnamus. Ab ea enim generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis notitiam nancíscimur. Quarè librum Porphyrij nec Logicum esse, nec ad ipsam pertinere uerissimum est. Ipsas verò decem Categorias ad Logicum spectare & si Andronicus labia contorqueat, ut benè dictum defendimus. Substantia rectè diffinita fuit ab Arist. in Initio talis Categoriæ, quæ non intenditur nec remittitur, neq; suscipit magis & minus, neq; habet contrarium. Quarè totius Dyalecticæ Basim Enti rationi accommodamus.

Gramma ticæ proprium. *Rhetoricę studiū.* *Hystoria temporū magistra.*

RELIQVAE sunt Grāmatica sine qua Theologus incōcinnè loquitur. Rethorica sine qua non aptè docebit, non delectabit, non flectet. Primum est utilitatis, alterum suauitatis, postremum uerò uictoriæ. Hystoria sine qua fortasse cum grauissimis Viris Saluatorē Nostrum CHRISTVM IESVM ętatis suę anno quadragesimo falsò crucifixum prędicabit. Poëtica sine qua vndè sit Poëtarum & Baccharum furor ignorabitur. Non enim est à DEO, sed aliundè iuxta Philosophiam aliorum, & aliundè iuxta Theologiam eorum omnium, qui uera prædixerunt ratio est exigenda.

Marci Varonis lapsus.

PERSTRINGENTES itaq; Theologici TABERNACVLI sectionem, tripartitam illam Marci Varonis diuisionem propulsandam esse ab hoc Theologico TABERNACVLO sustinemus, qua Theologiam in Poëticam Ciuilem & Naturalem distribuit. Cùm prima falsa de Dijs proponat, & ad Theatrum pertineat. Altera in populorum opinione, & cultu diuerso sita sit, & ad vrbes attineat. Tertia Deos Natura

reper-

repertos prauè doceat, & ad Mundum sit accommodata. At vera illa est, quam Magnus Dionysius rectam de Deo disserendi rationem & inuestigandi normam affirmauit.

Et vt tandem huic Theologico Tabernacvlo extremam manum imponam, quæcunq; Ars in hominũ superstitione collocata non fuerit ab hoc mirifico Tabernacvlo excludenda non est. Quamobrem penitus abhorremus, detestamur, & execramur, Hydromantiam, Pyromantiam, Geomantiam, Chyromantiam, & huiusmodi uaticinatrices Artes, quas omnes cũ suis cultoribus suus perdat Iuppiter. Astrologiam eatenùs admittimus, quatenùs ad summi Opificis Dei Opt. Max. gloriam attinet, eiq; soli rerum Sacramenta & archana reseruat. *Quid destestãdum homini Christiano.*

APPENDICES AD TABERNACVLI Ornatvm Spectantes.

CONTRA MERCVRIVM Trismegistvm.

Devm Opt. Max. quem alio nomine Spœram intelligentem Hermes appellauit, lumine Naturali hominem cognoscere posse, nedùm sacri, verùm & prophani fassi sunt Sapientes. Cœcutiuit profectò Mercurius dicens. Devs est id quod est, & quod nullum ex his est. Insinuans eundem tantùm negatiuè cognosci. *Mercurij lapsus.*

CONTRA PYTHAGORAM.

Hvmani Intellectus hebetudo adeò inualuit, ut Pythagoras qui Philosophorum author apud Italos extitit, fateri non erubuerit Animas hominum post mortem reuolui vsquè ad corpora bestiarum. Quam detestandam Metamorphosim ne dùm fides renuit, uerùm nec Philoso- *Pythagoræ lapsus.*

phia

phia ſuſtinet, cùm membra Leonis non differant à membris Cerui, niſi quia Anima differt ab anima.

CONTRA EPICVREOS.

Epicuri lapſus. COECVS amor ſui quem Græci diſertiſſimè vna uoce PHILAVTIA appellarunt, tàm altè iſtorum mentes inuaſit, ut fateri non ſint veriti, fœlicitatem in uoluptate poſitam eſſe, quod mehercle deteſtandum eſt, cùm nil ſit fœlicitate præſtantius, & nil ſit uoluptate turpius atque deformius, per illam enim DEO ſimiles efficimur, per hanc uerò bruteſcimus & delyramus. Nam quæ quiſq; excoluerit, illa addoleſcent, & fructus ſuos ferent in illo. Si uegetalia planta fiet. Si ſenſualia obruteſcet. Si rationalia, cœleſte euadet animal. Si intellectualia Angelus erit & DEI filius. Quarè ualeat hoc Epicureorum figmentum quoniam monſtrum eſt.

CONTRA PLATONEM.

Platonis lapſus. ID MAXIMÈ curarunt Veteres ut hominem rectè componerent, & ob id eum & ad ſe ipſum & ad familiam, & ad Rempubl. ordinarunt, neq; hoc temerè, nam nemo noſtrùm ſibi naſcitur. Delyrauit itaque Plato in Libris de Republ. dùm fateri non eſt ueritus vxores etiam debere eſſe communes, in quem errorem miſerimè Nicolaitæ prolapſi ſunt aduerſus quos inuehit Reuelationum Author.

CONTRA ARISTOTILEM.

1. Cor. 15. *Ariſt. lapſus.* ERVDITISSIMÈ ſanè concluſit Apoſtolus: Si hìc tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus cunctis animantibus, quarè cùm mortale hoc in corruptionem induere debeat, errauit Ariſt. aſſerens idem numero non poſſe reſurgere. Nos verò ne dùm à priuatione ad habitũ

dari

 172

ari uerum regressum affirmamus, sed etiam mortuorum esurrectionem in aliquibus Naturalem esse statuimus.

CONTRA ALEXANDRVM.

INter Primarios Aristotilis Interpretes Alexandrum Aphrodisensem tenent: Dixit nihilominùs, quas primas qualitates appellamus, substantiales Elementorum esse differentias. Verùm cùm accidens substantiæ differentia esse nequeat, nullatenùs formas substantiales dixerimus. Allucinatur Alexander, nec facilè excusari potest. *Alexandri lapsus.*

CONTA GALENVM.

LIcet Priscorum nonnulli cœcutiendo senserint Mentem Intelligentem instrumentariam fore, organoq; affixerint. Nos veritatem intimiùs perscrutantes, cuiusquè organicæ qualitatis eam expertem dicimus. Quod non uidens Galenus cum Abelpharach Babylonensi asseruit intellectum facultatem esse cogitariam. *Galeni lapsus.*

CONTRA ALGAZELEM.

APollinae familiæ Procères Medicinam saltem in parte Theoricam esse ostendere inhiant, quorũ mentibus refragantes, eam ex toto practicam pronuntiamus. Delyrat igitur Algazel asserens Medicinam Naturali Theoriæ subalternari, nec ei fauet, quod habet Arist. in Dyplomate de sensu & sensato. *Algazelis lapsus.*

CONTA AVICENNAM.

PRotoparens Adamùs secundum fidem è limo terræ formatus fuit, etsi fortè hominum genus diluuio quopiam iminente periret, fide tenemus ex limo reparari posse. *Auicennæ lapsus.*

posse. Quia tamen inflata hominum Philosophia hanc ueritatem non uidet, in Philosophia fallitur Philosophus Auicenna, asserens hominem ex terra gigni posse.

CONTRA AVERROEM.

Auerrois lapsus.

QVONIAM uerum uero non contrariatur, cùm secundum Sacræ Theologiæ veritatem Mens humana sit corporis organici forma informans, id in Philosophia etiam statuendum esse ambiget nemo. Quapropter in Philosophia cæcutiuit Auerroes oppositum asserens. Iure itaq; definierunt Patres in synodo Viennensi aduersus talis positionis assertores. Doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis seu intellectualis, uerè & per se humani corporis non sit forma, uelut erroneam, & ueritati Catholicæ inimicam fidei, hoc sacro approbante Concilio reprobamus: Definientes vt cunctis nota sit fidei synceræ veritas, ac præcludatur vniuersis erroribus aditus, nè subintrent, quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquàm hæreticus sit censendus.

CONTRA MAGISTRVM.

Magistri lapsus.

MENTES illas Cœlites, quas Angelos nuncupamus æquè bonos singulos creatos fatemur. Verùm enimuerò cùm Magister dicat secundo sententiarum libro, quòd priùs acceperunt beatitudinem quàm meruerunt. Iure optimo D. THOMAS & THEOLOGI eum dilacerant, nec nos in hoc ipsum tenemus.

PRO MERCVRIO TRISMEGISTO.

Magna Hermetis defensio.

HANC quam nuper diximus Mentem rerum omnium Archetypum, Opificemq; fatemur, non productione

illa

illa æterna dumtaxat, quam balbutiebant Peripatetici, uerùmetiam & temporanea, quàm ſanctiſſimè dixit Mercurius, Elementa Naturæ undè emanarunt? A uoluntate DEI, reſpondit, quod & nos fatemur.

PRO PYTHAGORA.

HVMANA Philoſophia ACTASIAM vſq; ad bruta minimè intelligit, nec Noſtratibus ex Ariſtotile ſatis eſt explorata. Nos uerò Mahumetum ſectantes qui illud frequens habebat in ore: Qui à Diuina lege receſſerit brutum euadere, & meritò quidem. Quod ſatis lucidè Sacra ſcriptura de Rege Chaldęorum aduertit. Quam rem ſi Theologiam Aegyptiacam conſulerimus claram, atq; diſtinctam habebimus. *Pytagore defenſio.*

PRO EPICVREIS.

QVI STOMACHANTVR Intellecta Epicureorum opinione ponentium ſummum bonum in voluptate, habent palatum non benè diſpoſitum, & palato non ſano pœna eſt panis, ſicut oculis ægris odioſa lux quæ puris eſt amabilis. Neſciunt enim duplicem eſſe Venerem, & geminam eſſe uoluptatem. Quarè cùm in uera uoluptate Epicurei fœlicitatem ſtatuerint, iurè optimo BEROSCAS Aegyptiacus eos commendat, & nos cum ratione defendimus. *Epicureorum defenſio.*

PRO PLATONE.

COELVM quod & alio nomine quintam eſſentiam Sapientes appellarunt, corruptioni obnoxium eſſe ſecundum Naturam perbellè docuit Plato dùm inquit: Vos natura corruptibiles eſtis, uoluntate uerò mea æterni, quia voluntas mea maior eſt nexu veſtro. Et in hoc ueræ Theologiæ Chriſtianæ minimè aduerſatur. *Platonis defenſio.*

Aristotelis defensio. PLATONEM tàm multa ex Hebræorum libris in suos transtulisse scribunt, ut & NVMENIVS diceret, Quid est Plato nisi Moses Atticus? Vnde tenuit Mundum habuisse principium. Nos ex Aristotile eandem defendimus veritatem ex libro septimo de Physico Auditu dùm ait: Omne quod mouetur ab alio cieri necesse est.

PRO ALEXANDRO.

Alexandri defensio. EXCLAMET ut libet Auerroes contra Alexandrum, Præceptoremq; Auempacem de Intellectu Agente. Quid enim contra veritatem hominum imposturæ? DEVS est Intellectus Agens, qui mentem illuminat & veritatem ostendit. Optimè dixit Alexander primam causam esse Intellectum Agentem, qui est Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. *Ioan. 1.*

PRO GALENO.

Galeni defensio. MEDICINAM quæ adhuc vitiatam humani corporis constitutionem resarcire contendit sanitatem anhelantem, scientiam esse adhuc dubitant Medici. Galeni dogmata imitantes dicere tenentur eam nouam scientiam esse, quam partem nunc defendimus.

PRO ALGAZELE.

Algazelis defensio. EXCANDESCIT Cordubensis Philosophus in Algazelem Hebræum tanquàm in vecordem hominem in prima disputatione. Mirum est profectò quomodò tàm solers ingenij acies tanti Viri mentem non sit assecutus. Veritati igitur innixi cum eo dicere audemus ab æterno posse nouum prouenire. Nihil itaquè habet Algazel contra veritatem.

PRO AVICENNA.

PRIMA Philoſophia ſcientiarum Regina ab ipſis nuncupata, quando ei adeſt facultas, ne dùm methodorum principia demonſtrare poteſt, uerùmetiam & concluſiones. Temerè Auerroes in coætaneum Auicennam inſurgit, cum quo dicimus primum Philoſophum ſubſtantias abſtractas eſſe, poſſe demonſtrare, quod multi recentiores non intellexerunt. *Auicennæ defenſio.*

PRO AVERROE.

VIGET adhuc inter Noſtrates de Materia Cœli non leuis digladiatio (etſi adhuc ſub Iudice lis ſit.) Nos hęc omnia cum vno Auerroe defendimus ex libro de ſubſtantia Orbis, & ex alijs plerisquè locis. Primum in Cœlo eſſe materiam. Nec nobis obeſt id quod Ariſt. lib. Diuin. 9. dicit: Neq; timendum eſt quòd Cœlum ſtet, cauſa autem fatigationis in Cœlo eſſet Materia. Alterum, ſuperlunarium & ſublunarium Materiam non eſſe unius & eiuſdem rationis. Et hoc tàm à Materia Cœli, quàm ab eius forma originem ducit. Vbi eſt enim alia & alia materia, ibi neceſſariò eſt alia & alia forma. Et in hoc peroptimè dicit Aegidius Romanus. *Auerrois defenſio.*

PRO MAGISTRO.

SECTARIORVM noſtri temporis perfidiam dudùm ab Antiquitate ſanctiſſimorum Patrum ex Euangelica Hyſtoria damnatam & proculcatam quis non abhorreat? Dùm fateri non erubeſcunt Vnigenitum DEI Filium ab æterno non fuiſſe DEVM, verùm in initio temporis, Cùm oppo- *Magiſtri lapſus.*

Nicæna orthodoxè confessa est, cùm definiuit Homovsion. Ioan. 10. Quam rem longè ante Saluator ipse docuerat dicens: Ego & Pater vnum sumus. Quam syncerissimam doctrinam cũ summa laude Theologorum Coriphęus Magister Sententiarum defendit in primo.

PRO EVANGELIO.

Devs cuius scientia quæ non est accidens, sed substantia, quia quicquid antequàm sit præscit, Præscientia Rom. 8. appellatur, futura omnia induit ut præsentia. Quarè quosq; saluandos optimè inquiebat Paulus. Quos præsciuit conformes fieri imaginis Filij sui.

Praedestinatio cùm à Diuina uoluntate merè cótingenterq; proficiscatur, ad obiectumq; contingens terminetur, in se necessaria est (vt perbellè docent in scholis) consequentis necessitate, non autem consequentiæ. Quarè simpliciter contingens præscientiam insequitur. Hinc dixit Apostolus. Quos præsciuit hos & prædestinauit.

Divinam Vocationem quoniam merita nostra non præcedunt, vocat enim quos vult, est itidem contingens, sit interna, sit externa, sit generalis, sit specialis, insequitur Prædestinationem: Inquit enim Tharsensis Apostolus. Quos prædestinauit, hos & vocauit.

Si liberi facultate Arbitrii cœlesti suffulta præsidio gemimus peccata, ueteremq; relinquentes vitam, iustitiam sitimus, eamq; ex corde amplexamur, accedit confestim gratia iustificans, quæ necessariò dispositam sitibundamquè præexigit uoluntatem, dicente Psalte. Dilata os tuum & adimplebo illud. Et alibi: Anima mea in manibus meis semper: Ait enim Apostolus. Quos vocauit, hos & iustificauit.

QVAM sanè IVSTIFICATIONEM quia non habentes nancisci, adeptamq; augere, amissam uerò recuperare ualemus. Hinc ad primum conferre Baptismi Sacramentum, ad secundum opera meritoria, ad tertium pœnitentiam sentimus. Quam sanam & synceram doctrinam passim Euangelica testatur Hystoria. De Baptismate enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum DEI. Quarè inanem illam Caluini promissionem quam fœtido ore eructauit, præterito Baptismatis Sacramento, vel in re uel in uoto detestamur & execramur. De operibus bonis legimus: Et precedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui uerò mala egerunt in resurrectionem Iudicij. Pœnitentiæ necessitatem generis humani Redemptor innuit dicens: Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis.

Ioan. 3.

Caluini lapsus.

Ioan. 5.

Luc. 3.

GLORIFICAMVR Christianis meritis quæ & gratiam, & liberam exigunt humanam voluntatem, dicente Apostolo: Non ego sed gratia DEI mecum. Quæ glorificatio iustificationem insequitur. Docuit enim Paulus: Quos magnificauit, illos & glorificauit. Hi verò gradus non ratione DEI OPTIMI ponuntur, quippè qui in instanti suę æternitatis præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit, & magnificauit, seu glorificauit: Positi tamen sunt ab Apostolo ut imbecillitati humanæ DEI immensitatem accommodaret.

QVARE certam infallibilemq; futurorum contingentium prescientiam in solo DEO ponimus. Omnes autem Ariolos, Aruspices, Astrologos, & huius farinæ Viros decipi, allucinariq; in futurorum contingentium ueritate dicimus cum Propheta. Annuntiate quæ uentura

QVARE' reprobandi sunt Impostores Caluinistæ asserentes Prædestinationem omnibus modis necessariam esse, cùm multùm intersit inter consequentis & consequentiæ necessitatem. Et Apostolus clamet: Vide ergò DEI Bonitatem, & seueritatem in eos qui ex fide exciderunt: Bonitatem uerò in eos qui in fide permanserunt: Ita & seueritatem in te, si tu ex fide excidèris: Potens est enim DEVS iterum inserere illos. Idq; apposita allusione Oliuæ & Oleasti demonstrat. Quarè asserimus & habentem gratiam posse ab illa excidere, & non habentem illam recipere posse. Etsi fœtida Iouiniani & Caluinistarum ora secùs eructarint. Itaq; pro ueritate stabilimus & Prædestinatum posse damnari, & Reprobatum saluari. Quam ueritatem si quispiam occultam Isaaci Syri Theologiam consuluerit apertissimam inueniet, statim ac delyquit Adamus.

Rom. XI.

Iouiniani & Caluinistarum lapsus.

QVARE' cùm in liberi nostri Arbitrij facultate tanta vis insita sit, ut uocanti DEO assentire & dissentire ualeamus ut Euangelica testatur Hystoria dùm ait; Dedit eis potestatem filios DEI fieri. Dixit enim Ambrosius in casu Primi hominis non fuimus uoluntate priuati, sed uoluntatis sanitate spoliati, Diuinæ uocationi assentire uel dissentire nostræ est potestatis. Cuius rei imaginem præseferebat homo ille qui descendebat ab Hierusalem in Hyerico quem spoliasse latrones plagis impositis & abijsse Euangelica testatur Hystoria. Quarè summoperè homini Christiano (quamuis non admodùm de Religione Catholica benemerito) execranda uideri debet Matthiæ Flacci Illyrici sententia, dùm ait: Originale peccatum hominis vsiam atq; substantiam esse.

Ioan. I.

QVARE' cùm detur prior, posteriorq; Iustificatio, & priorem præcedat assensus, posteriorem uerò merita, CHRISTI primò nobis per Iustitiam inhærentem,

tem, qùa uerè, & non per imputationem iustificamur, vt scelestissima Caluini & Bezæ ora fateri non erubescunt, & nostra etiam in quibus nos assentiendo cōcurrimus, vt cooperatores DEI simus in operibus bonis. Audemus dicere assertiuè cum D. Augustino: Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te, & assentiente & merente.

QVARE' Baptismi Sacramentum verè conferens gratiam, quod datur IN NOMINE PATRIS & FILII, & SPIRITVS SANCTI, in delectionem ne dùm originalis culpæ, sed actualis labis, necessarium est ad salutem, nec sine eo quisquàm vitā æternam consequi potest. Quod Sacramentum minimè iterandum esse aduersus prophanas Anabaptistarum sententias personamus atq; defendimus.

QVARE' Infantes à Baptizatis concepti & nati, sine hoc Sacramento decedentes, salute non potiuntur, pœnam lugent licèt mitissimam.

QVARE' cùm Sacramenta extra Ecclesiam Catholicam & Apostolicam Romanam collata nullum habeant robur, cùm omne quod non est ex fide peccatum sit, uerissimum dixerunt Patres Græci Ecclesiam & ab Adamo, & ab Abele sumpsisse initium: Vterq; enim ipsius Ecclesiæ Caput fuit. Quam esse Monarchiam quantùm ad caput attinet, & Aristocratiam quantùm ad membra orthodoxè definierunt Patres in Synodo Constantiensi aduersus errata Ioānis VVicleff & Ioannis Vss.

QVARE Animalia illa quatuor quæ Ezechiel in Extatica illa uisione uidit, quæ rerum omnium quas ipse

ut Veritati prospiciam ex Aquila illa Ioannis paratum me præbeo demonstrare omnes hæreses quæ post CHRISTI Ascensionem ad superos usq; ad hæc nostra tempora aduersus CHRISTI Ecclesiam insurrexerunt, ab Aquila illa cælesti profligatas & pessundatas esse in ipsius Euangelio, & in Reuelationum Libro, nec non in Epistolis.

DEINDE nomina omnia quæ DEO OPT. MAX. attribuuntur, siue sint nomina ineffabilia siue non, siue IEHOVA Hebraicè, siue IOVA Syriacè concernant, solùm mysteria abditissima duodecim literarum quibus omnia ad DEUM attinentia enucleantur, continère unica Thesi reponimus iuxta ueritatem Aegyptiacæ Theologiæ Sydrachi Syri cùm opus fuerit inter disputandum & uerissimè & solidissimè aduertam. Ita ut Hebræi omnes, ni habeant uelamen superpositum in cordibus eorum uidebunt
Esa. 11. in ipsa meridiana luce se caligare, dùm dicunt, adhuc non adimpletum esse. Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hædo accubabit. Quarè polliceor omnes Veteris Testamenti authoritates in Nouo haberi ut impletas, ita ut ultra MESSIACH expectandus non sit.

INSVPER, Insignem illum ordinem quem Raymundus Lulius posuit in Arte Magna, in quo mirificam illam methodum differendi de DEO posteris reliquit, mutilatã esse diminutã, & falsam, nemo est qui ignoret, uel mediocriter uersatus in Mystica D. Dionysij Areopagitæ Theologia.

INSVRREXIT Doctor Subtilis in D. THOMAM tanquàm in uecordem hominem in multis : Et uiget inter Thomistas & Scotistas irreconciliabilis ferè altercatio. Ego autem assero non esse tàm simile Ouum Ouo, sicut est Doctrina Scoti cum Angelici Doctoris sententia in quàmplurimis in quibus discordes uidentur, quorum concordiam demonstrabo cùm respondebo.


ALA-

177

ALACRITER tandem profero ut Paleſtræ huic literariȩ ultimam manum imponam, quicquid definiuit Sanctiſsima Synodus Oecumenica Tridentina in ijs quȩ ad Dogmata Religionis attinent, de quibus inter nos & ſectarios controuertitur, Orthodoxè, & Chriſtianè ſtatutum eſſe. Quod totum pro unica concluſione aduerſus Sectariorum blaſphæmias repono. Reliqua uerò uel ad morum reformationes attinentia, vel ad contextuum Sacrȩ Scripturæ (quãtùm ad uerſionem Aeditionis Vulgatæ attinet) temporis anguſtia pro nunc alijs diſputanda relinquo.

NE MIRERIS Candide Lector ſi grandes illos Platonem, Ariſtotilem, & reliquos celeberimos uiros in errorem incidiſſe, falſaq; ueris miſcuiſſe aſſerimus, ut uni ex Sacroſancta Scriptura, ex approbante Eccleſia Catholica & Apoſtolica Romana Veritati, deferatur authoritas, extra quam cum Diuiniſsimo Vate exclamamus.

OMNIS HOMO MENDAX.



NVNTIATA Ista numero tercenta & octuaginta millia si quispiam classicorum volumina, & mysticam Aegyptiorum Theologiam consulet, prateritis ijs qua ad Religionis Catholica dogmata pertinent, oscitantius numerabit, tot esse inueniet. Egò verò secundum supputationem Sydrachi Syri Aegiptiaci dico esse decem & octo millia, vt numeri allusio qua prastantissima est, Enuntiatorum specimen praseferat. Omnia verò hac Enuntiata vnica Thesi subordinata sunt, in qua nec est subiectum, nec pradicatum. Et hoc vnum Enuntiatum, & hac omnia disputaluntur publicè Venetijs in Religiosissma & Celeberrima Ecclesia. SS. Ioannis, & Pauli de licentia Superiorum per octiduum. Et exordium disputationis aggrediemur die XVIII. Mensis Iunij horis HORIS POMERIDIANIS.